

hoc gigni, & per vias laxiores & magis idoneas ad excipiendos humores excrementitios expurgari putat; occasionem verò primam ex vitio ventriculi profurgere, qui juxta Galenum est maxima causa generandi pituitam, in eodem consilio profert.

Uterus meritò pro hoc habetur, utut *Massar. 1. pral. pract. c. 4.* uterum nequaquam in hoc affectu ut subjectum accusari posse, ex *Galeno & Donato ab Altomari* contra *Mercurialem* defendere labore. Licet enim non negandum, quod materia quæ effluit, non semper, nec omnis in utero generetur, recipit tamen, colligit & præcipuè emittit, sicque affectus subjectum est, licet non semper causæ.

Uterus autem imprimis & maximè subjicitur huic morbo, & laborat sæpius *per essentiam*, teste *Vido Vidio, lib. 11. de curat. membr. cap. 29.* èque propria inmoderatione, imprimis frigidiori & humidiori, alimentum sibi commissum & proprium conficiendi redditur inidoneus, unde multa contrahit excrementa humida, quæ nonnullis continuò, aliis per intervalla per pudendum erumpunt, & muliebri profluvium constituunt. Per *consensum* cum aliis partibus malè se habentibus ad compassionis societatem sæpè impellitur.

Hic scire convenit, per quosnam ductus hoc profluvium derivetur. — *Savanarola* veros menses à venis colli uteri, fluxum verò muliebrem à venis uteri ipsius procedere existimat. Cui contrarius videtur esse *Platerus lib. 2. de aquos. excret. c. 7.* qui fluorem uterinum à cervicis uteri venis tantum fluere credit, non verò ex uteri fundi cavitate in collum illius effluere, indeque postea expurgari; cum tam angustus in utero sinus tantam copiam humoris, quantam plerumque emanare videmus, minimè possit capere, nec donec uterum gestent foeminæ ampliatur.

B

Verum